

DE VITA RELIGIOSA APOSTOLICA SAECULIS XIX ET XX. ADNOTATIONES QUAEDAM

Introductio

Evolutionis vitae religiosae apostolicae historica investigatio circa periodum inter Vindobonensem Congressum (1815) et Bellum Mundiale II comprehensum (1945) nobis magnam admirationem suscitatur. Quamobrem, nostra intentio est historicam compositionem illius periodi vitae religiosae conferre. Studium nostrum erit in dissertatione claritatem adhibere, atque in finem exactas conclusiones proferre¹.

«*Saec. XIX plerique religiosi et religiosae bis e Gallia expulsi sunt vel in ea absconditi vivere vel agere debuerunt, bis vel ter plurimi ex Hispania et variis*

¹ Concilii Vaticani II periodus nobis nimis propinqua est; tamen, ante oculos nostros decreti *Perfectae caritatis* expressionem habere debemus, hoc est: «(...) *In istis institutis [variis apostolatus operibus deditis], ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum. Proinde tota vita religiosa sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica religioso spiritu informetur. (...)*». PC, § 8: *Enchiridion Vaticanum. I. Documenti del Concilio Vaticano II*. Testo ufficiale e versione italiana, Bologna, Dehoniane, 13^a ed. 1985, n. 729.

Etiam status postbellicus europeus consequens Napoleonis cladem, historicam significationem nobis fert; deinde, ab hoc anno nostra investigatio historica incipere statuimus.

Italiae partibus exturbati, haud pauci e regno Borussiae, Portugalliae, etc.»². Catholicorum vitam internam in his diversis historicis ambitibus non oblivisci opus erit: romantica sentimentalism exaltatio; «quaestionis romanae» intransigens defensio; perdificillima animorum in publica re conspiratio; integrista positio; ad «quaestionem sociale» solvendam christifidelium obligatio; modernismus; Catholica Actio; cristiana democratia.

Ad institutorum vitae religiosae apostolicae identitatem perspicendam, consideratio qualitatis et quantitatis operum caritativarum ab illis confectorum nobis auxilium procurabit.

Conceptus hodiernus «vitae religiosae apostolicae» declaratio

Dum historiam conficimus, minime a vitae religiosae essentiae consideratione abstractionem facere debemus³. Nostris diebus, elementa vitae religiosae

² IOS. CREUSEN, S.I., *De iuridica status religiosi evolutione synopsis historica*, altera editio auctior et emendatio, Romae, Apud aedes Pont. Univ. Gregoriana, 1948, 38.

³ Magnam significationem terminorum declaratio importat. Apud *Codicem Iuris Canonici* (1917) legebatur:

«(...) *Religionis*, societas, a legitima auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt; (...), c. 488, 1º.

«(...) *Religiosorum*, qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *religiosorum votorum simplicium*, qui in Congregatione religiosa; *regularium*, qui in Ordine; *sorum*, religiosae votorum simplicium; *monialium*, religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia; (...), c. 488, 7º.

sunt: totalis consecratio, saeculi futuri signum, quia aeternum Dei amorem erga homines expressio; constans cultus Dei in caritate; votorum publicorum — perpetuorum aut temporariorum, elapso tempore renovandorum — nuncupatio; vita fraterna in communi ducta; denique, secundum institutorum formulam, a mundo separatio⁴.

Attamen, in prima dimidia parte saeculi XIX, vitae religiosae femineae «apostolicae» conceptus non in canonicarum legum corpore plane acceptus erat.

Periodus 1815 usque ad finem pontificatus Pii IX (1878)

Instituta vitae religiosae in Europa atque in America Meridionali crisim magnam tunc passa sunt. Tamen, hoc ipso tempore, positiva signa sese manifestaverunt⁵. Nonnulli casus nobis hanc crisim

⁴ Apud *Codicem Iuris Canonici* 1983 approbatum legitur:

«Vita religiosa, utpote totius personae consecratio, mirabile in Ecclesia manifestat connubium a Deo conditum, futuri saeculi signum. Ita religiosus plenam suam consummat donationem veluti sacrificium Deo oblatum, quo tota ipsius exsistentia fit continuus Dei cultus in caritate.

Institutum religiosum est societas in qua sodales secundum ius proprium vota publica perpetua vel temporalia, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant atque vitam fraternam in communi ducunt.

Testimonium publicum a religiosis Christo et Ecclesiae reddendum illam secumfert a mundo separationem, quae indoli et fini uniuscuiusque instituti est propria», c. 607, §§ 1-3.

Ad consulendum nobis auxilium praestabit G. GHIRLANDA, *Il diritto nella Chiesa, mistero di comunione. Compendio di diritto ecclesiale*, Roma-Milano, Ed. Paoline - Ed. Pont. Univ. Gregoriana, 1990, 169-233.

⁵ Cfr. ad hanc periodum quod attinet, documenta pontificia: *Neminem latet* (19.III.1857): A. BIZZARRI, *Collectanea in*

ostendunt: reformationis consilium ad Pium VII praesentatum a futuro cardinali Iosepho ANTONIO SALA; novae congregationis romanae curiae institutio ad hoc negotium persolvendum (1814-1818); Congregationis super statum religiosorum erectio (1846); LEONIS XII (1827) atque Pii IX (1847) inquisitiones; denique, patrum Concilii Vaticani postulata.

Religiosorum copiosus numerus, ex his qui, durante gallica revolutione, dispersi sunt, magna cum difficultate «libertatis» abdicationem volebant. Praeterea, gubernatores liberales ex antiquis nationibus catholicae fidei exorti, Ecclesiae institutiones traditionales oppugnabant. Bona ecclesiastica ab auctoritate civili frequenter direpta sunt; congregationes dispersae; regulares in miseria versabantur. Ecclesia, certe, quoad vitam religiosam reformanda erat⁶.

usum S. Congregationis Episcoporum et regularium, Romae 1975, 853-857.

Codicis Iuris Canonici fontes, cura Emi. Petri Card. Gasparri editi, IV. *Curia Romana (S. Congregatio Sancti Officii - S. Congregatio Episcoporum et Regularium)*, nn. 714-2055, Romae, Typ. Polyglot. Vaticanis, MCMXXVI.

G. MARTINA, *La Chiesa nell'età del liberalismo*, Brescia, Morcelliana, 6a. ed., 1986 [speciatim: *Una Chiesa pura e giovane*, pp. 64-80], pp. 69-70.

G. Verucci, *Chiesa e Stato nell'Italia della restaurazione (1814-1830)*, Riv. Storia della Chiesa in Italia, 30 (1976)/1, 25-72.

F. AZZALLI, *La restaurazione e la provincia piemontese dei Servi di Maria. Un protagonista: il padre Amedeo Vittorio Pirattoni (1815-1834)*. Teses ad doctorandum, in Fac. Historiae Ecclesiasticae Pont. Univ. Gregoriana defense, 1990, non adhuc publicata.

⁶ G.A. SALA, *Piano di riforma umiliato a Pio VII ora per la prima volta integralmente pubblicato dal pronipote di lui Giuseppe Cugnoni*, Tolentino, 1907, 6-7.

Insuper *Scritti di Giuseppe Antonio Sala pubblicati sugli autografi da Giuseppe Cugnoni*, vol. IV, parte 1. *Piano di*

Seditionis motus in regulares speciatim inciderat. Religiosi practice vim independentem a Statu constituebant, educationis puerorum iuvenumque magnam partem habentes. A Romano Pontifice directe dependebant. Philosophi illuministi vitae contemplativae instituta religiosa inutilia tenebant.

Praecipua vitia ecclesiastica huius temporis erant: habitudines negativae sustentare; directionis spiritalis artem oblitam esse; speciem sanctitatis vitae atque formationis periodi severitatem imminutas; indiscreta candidatorum selectio; saecularizationis augmentum.

Concilii tridentini decreta regulaeque propriae religionis observanda erant, praesertim vitam communem respicientia, quae non solummodo tanquam oeconomica institutio teneri debebat, sed insuper tanquam evangelica virtus. Superiores autem a capitulo electi fore, ne in privilegium horum ministerium converterent⁷.

Quia vota temporalia illo tempore non erant nuncupata, novitiatus tempus differre atque novitorum magister eligi accuratius debebat; visitationes canonicae in aspectum moralem et spirituales plussquam in oeconomicum versari debebant. Religiosi,

riforma, Roma, 1980, ediz. anastatica (= Miscellanea della Società Romana di Storia Patria, IV/1).

L. PASZTOR, *Il secondo piano di riforma di Giuseppe Antonio Sala e Pio VII: la Congregazione della Riforma*: *Clio* 20 (1984) 59-77.

⁷ «Niuno è al caso di meglio conoscere il merito degli elegendi, quanto gli individui della stessa famiglia, e il vedere che può ascendersi ai sommi gradi di protezione, e d'intrighi, induce dispiacere e scoraggiamento». SALA, *o.c.*, 223-224. Cita AZZALLI, *o.c.*, 61.

tamen, in reciproca unione progredi, atque ab Ecclesiae communitate auxilium accipere debebant⁸.

Secundum voluntatem Pii VII, Congregatio ad negotii ecclesiastici generalem riformam perficiendam, imprimis monialium temata discutere debebat⁹.

Nihilominus vita religiosa, illa speciatim ad apostolatam dicata, in saeculo XIX vigit¹⁰. Institutorum religiosorum vigor in altera parte illius saeculi — obstantibus conatibus liberalium Statuum in Italia, Polonia, Hispania atque nonnullis Americae Centralis et Meridionalis nationibus iam tandem summum imperium habentibus —, manifestatus est¹¹.

⁸ Tentatum est frequenter, historia Ecclesiae progrediente, ut diversorum institutorum religiosi in unum coadunarentur. Sicut bene notat AZZALLI (o.c., pp. 64-65), «(...) dimostrando, in questo frangente, una scarsa sensibilità alla pluralità dei carismi nella vita religiosa, che ogni tanto ritorna nella Chiesa».

⁹ Congregatio reformae a Pio VII instituta (4.VII.1814), tanquam secretarium JOSEPHUM ANTONIUM SALA per primum habuit. Romanus Pontifex in exilio gallico reformationis programmam concepit. Insuper, SALA iam 1800 Romano Pontifici primam consultationem produxerat.

Videtur cardinalem CONSALVI, stantem Lutetiae dum ex Vindobonensi Congressu regrediebatur, oppositionem contra consultationis SALA diffusionis scriptum fecisse.

¹⁰ R. AUBERT, *La vitalità cristiana: La Chiesa nella società liberale: Nuova Storia della Chiesa*, a cura di L.J. ROGIER, R. AUBERT e M.D. KNOWLES. Ed. italiana a cura di S. TRAMONTIN, vol. 5/1, Torino, Marietti, 1977, 150-171.

Vide synthesim circa institutorum religiosorum socialem activitatem in R. HOSTIE, *Vie et mort des ordres religieux*, Bruges-Paris, 1972, 223-273.

¹¹ Ecce ad hoc aliqua data: benedictini, anno 1850, 1.600 membra erant; anno autem 1900, 6.000 assequuti sunt. Redemptoristae atque Iesuiti expansi sunt valde: Societatis Iesu membra, cum 4.652 anno 1852 fuissent, anno 1886 vero 12.070 membra assequuti sunt; consequenter illi activitatem missionariam populum explevere potuerunt.

«Innumerae congregationes religiosae, praesertim mulierum, primo ad ruinam spiritualem in Europa reparandam, dein ad curam emigrantium praesertim in Americam, ad opus missionum apud paganos adiuvandum, approvantibus vel postulantibus Ordinariis, conditae sunt»¹²

Congregationes autem a solis religiosis laicis compositae, «*Antiquo Regimine*» durante, unum per centum in religiosorum summa computabantur. In memoriam profecto sancti Pii V constitutionem revocare debemus, propter quam mulierum vita religiosa semper clausura religare debebat¹³. Haec lex in vigore manebat, sed feminarum apostolicae vitae instituta religiosa in Europa multiplicabantur. Quando, LEO XIII tandem *Conditae a Christo* constitutionem sub-

¹² CREUSEN (cf. nt. 2) *Ibidem*.

¹³ PIUS V, *Circa pastoralis* (29.V.1566): *Bullarium diplomatum et privilegium sanctorum Romanorum Pontificum Taurinensis editio*, VII, Augustae Taurinorum, MDCCCLXII, 447-452. [Cum dictae bullae declaratione inclusa, 450-452].

«(...) auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus atque perpetuo decernimus universas et singulas moniales, praesentes atque futuras, cuiuscumque Religionis, Ordinis vel Militiarum, etiam Hierosolymitani, sint, quae vel iam receptae sint, vel in posterum in quibusvis monasteriis sive domibus recipientur, et tacite vel expresse Religionem professae, etiam si conversae aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis vel foundationibus earum Regulae ad clausuram non teneantur, (...); sub perpetua in suis monasteriis seu domibus debere de cetero permanere clausura (...)». § 1.

Insuper «(...) PIUS IX, litt. *Neminem latet* (19.III.1857), in omnibus Ordinibus virorum professioni sollemni, quae immediate post annum novitatus emittebatur, professionem simplicem perpetuam praeponi iussit. Professio sollemnis post triennium professionis simplicis emitte poterat. Decr. *Perpensis* (3.V.1902), sub LEONE XIII, haec praescriptio ad omnes Ordines mulierum extensa est». CREUSEN, *o.c.*, 40.

scripsit, id est, anno 1900, numerus totalis religiosorum 135.000 assequebatur¹⁴: mulierum instituta in quibus religiosae privata vota nuncupabant atque clausuram non habentes, tanquam «instituta religiosa» tenebantur.

Inter novas congregationes ad sublevandam quaestionem socialem evangelica consilia profitentes mirabiliter aliae creatae sunt; aliae iamdiu creatae creverunt: v. gr. Mariae Immaculae Oblati, marianisti, claretiani, etc.¹⁵. Mulieres magis magisque ad apostolicam activitatem se dicabant: in hospitalibus servientes; ad puellarum educationem mulierumque reeducationi impedentes; ad missiones procul a patria euntes, consacrationem Deo coniungentes¹⁶. Ingressus in congregationem aliquam ad scholas dicatam

¹⁴ LEO XIII, constitutio apostolica *Conditae a Christo Ecclesiae* (8.XII.1900): *Leonis XIII Pontificis Maxima Acta*, XX, Romae, ex Typ. Vaticana, 1901, 317-327.

[De religiosorum institutis vota simplicia profitentium].

«(...) *Domus sodalitatum huiusmodi si clausura episcopali utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificis legibus tribuuntur. Si quae autem clausura, ut inquit, partiali, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irreat vitii cohibere*». (p. 323, IV).

Conditae a Christo «(...) «Magna Charta» Congregationum et fere tota in *Codicem* [1917] inseretur. Anno sequenti, 28 iun. 1901 editae sunt Normae, quae S. Congregationi EE. et RR. inservire debebant in approbandis novis Institutis eorumque constitutionibus». Creusen, (cf. n. 2) 40.

¹⁵ Quoad mulierum novas congregationes, memorare opus est Sanctam Sedem ab anno 1862 usque ad 1865 spetuaginta et quatuor congregationes approbavisse.

¹⁶ G. MARTINA, *Il vescovo Giovanni Antonio Farina e il suo istituto nell'Ottocento veneto*. Atti del convegno organizzato nel 150° anno di fondazione dell'Istituto. Vicenza, 23.25 gennaio 1987, Roma, Ed. Storia e Letteratura, 1988, 593-631.

verum progressus socialem, praesertim in regionibus ruralibus, implicabat. Tamen, harum congregationum incrementum quantitativum qualitativumque, obstante societate civili, vitae Ecclesiae signum addebat¹⁷.

Periodus a 1878 usque ad finem pontificatus BENEDICTI XV (1922)

Ad socialem activitatem quod attinet religiosorum dedicatio hac periodo speciatim manifestata est¹⁸. Mulierum congregationes in saeculo XIX natae magnam novitatem secumferebant, id est, hae mulieres habitus saeculares conservabant. Quapropter sub piarum sodalitatum cathegoria comprehensae sunt,

¹⁷ Res magis mira est numerorum vitae contemplativae monasteriorum incrementum, quae, exeunte saeculo XIX, 360 carmelitanarum atque 500 clarisarum in Ecclesia universali esse putabantur.

¹⁸ Iam antea PIUS IX, sollicitus pro bono religiosorum, curialem congregationem *De statu regularium* erexit (7.X.1846). Attamen, dum Romae duae alterae Curiae Romanae congregationes eundem scopum ac similes competencias habentes permanserunt, haud multum efficax nova congregatio fuit. G. MARTINA, *Pio IX (1846-1850)* (= *Miscellanea Historiae Pontificiae*, 38). Roma, Univ. Gregoriana Ed., 1974, 507.

Litterae encyclicae Ubi primum (17.VI.1847) memorandae sunt [:*Pii IX Pontificis Maximi Acta*, I, I, 46-54]: PIUS IX religiosorum centralizationem fovet, atque illos cum Romana Curia religat.

Vide etiam G. MARTINA, *La riforma del clero regolare e secolare: Pio IX (1851-1866)* (= *Miscellanea Historiae Pontificiae*, 51). Roma, Ed. P.U.G., 1986, 213-259. G. ROCCA, *Riorganizzazione e sviluppo degli istituti religiosi in Italia dalla soppressione dal 1866 a Pio XII (1939-1958): Problemi di Storia della Chiesa. Dal Vaticano I al Vaticano II*. Atti del 7° convegno dell'Associazione italiana dei professori di Storia della Chiesa. Brescia, sett. 1985. Roma, Ed. Dehoniane, 1988, 239-294.

usque ad annum 1900. Hic saeculi XIX eventus non fuit casus: pleraequae mulieres consacratae, exorta persecutione a gubernio liberali ducta, vitae periculo se exemerunt¹⁹.

Tempore pontificatus LEONIS XIII instituta religiosa suam obligationem socialem atque Ecclesiae renovationem adimpleverunt; hac de causa, plurium iuvenum oculos ad se converterunt²⁰. Dum in societati civili saecularizationis causa regnabat, instituta illa significationem magnam afferebant²¹: saeculo XX ineunte Missionari «Consolata» (Torino, 1901), «Parvum Opus Divina Providentia» (1903), «Societas Sancti Pauli» (1914), etc. apparuerunt. Ex Germania, inquam, dum «Lucta culturalis» in vigore stabat²²,

¹⁹ Memores sumus legum sic dictarum «eversionis» in Italia atque in Hispania existentium, quae ex ore liberalium parlamentarum promanabant. Quoad Italiam attinet: lex 6.VII.1866, quae postea etiam Romae in vigorem aliqua cum modificatione per legem 19.VI.1873 pervenit. Bonorum regularium expropriatio a potestate civili consilium positivum esse videbatur. Hae leges illas a gubernio Sardico 25.VIII.1848 (Societatis Iesu suppressio) et 29.V.1955 (omnes huius Regni congregationum religiosarum suppressio) promulgatas tanquam praecedentes habebant.

²⁰ A. LÓPEZ AMAT, *La vita consacrata. Le varie forme dalle origini ad oggi*, Roma, Città Nuova Ed., 1991, 460.

²¹ Vide G. ROCCA, *La vita religiosa dal 1878 al 1922: La Chiesa e la società industriale (1878-1922): Storia della Chiesa*, iniziata da A. FLICHE e V. MARTIN, XXII/2, ed. italiana a cura di E. GUERRIERO e A. ZAMBARBIERI, Milano, Ed. Paoline, 1990, 137-159. Idem Auctor coordinator *Dizionario degli Istituti di Perfezione*, Roma, Ed. Paoline, 1973-1988, ... IDEM, *La formazione della Pia Società San Paolo. Appunti e documenti per una storia (1914-1927)*: Claretianum, 21-22 (1981-1982) 475-690.

²² Kulturkampf motus fuit (1871-1878) a cancellario BISMARCK conductus, scopum habens contra homines germanos catholicos oppositionem gerere, ne Ecclesia in rem politicam ingrederetur.

complures religiosi ad exterarum missiones U.S.A. profecti sunt. Similiter ex Hollandia, Polonia, Hispania atque Helvetia²³.

Inter instituta durante pontificatu LEONIS XIII (1878-1903) creata nominare opus est plures religiosarum congregationes, secundum imaginem «Sorum Caritatis» a sancto VINCENTIO DE PAUL fundatarum conformatas. Copiosus enim numerus religiosorum fuit, adeo ut in missiones exterarum permulti nissi sint.

Caritatis opera in vitam religiosam apostolicam ita influxum habuerunt, ut eius interiorem structuram mutarent. Haec instituta in Ecclesiam tamquam congregationes religiosae paulatim canonice agnita sunt, quia non paucae difficultates manebant, v. gr., «membra abscondita» alicuius instituti, quae, etsi vota nuncupavissent, tamen habitum religiosum non induebant neque vitam communem gerebant²⁴.

²³ Numerus religiosarum in Italia, anno 1901, 40.251 fuit; anno vero 1911, earumdem numerus 45.616; anno autem 1921, 71.679 religiosarum numerus in Italia attigit.

Ad Hispaniam quod pertinet: anno 1892, numerus religiosarum professorum non in clausura degentum 14.040 fuit; 15.276 moniales in claustris.

Vide etiam C. LAMGLOIS, *Les effectifs des congrégations féminines au XIX siècle. De l'enquête statistique à l'histoire quantitative*: Revue d'histoire de l'Eglise de France, 60 (1974) 39-64. J. ALVAREZ GÓMEZ, *Congregaciones femeninas fundadas en España en el siglo XIX*: Vida Religiosa, 28 (1970) 72-78.

²⁴ S. Congregatio Episcoporum et Regularium, decreto *Ecclesia Catholica* (11.VIII.1889), membra «abscondita» tanquam pertinentia ad institutum religiosum non admittebat:

«(...) quaesita sunt: I. Utrum expediat, ut S. Congregatio Episcoporum et Regularium decretum laudis aut approbationis concedat Institutis illis, quae praeter sorores in communitate viventes, habent obstrictas votis simplicibus sive temporaneis sive perpe-

Nihilominus, post promulgationem Constitutionis *Conditae a Christo* (1900), in quam *Normae* esecutivae adduntur (1901), institutorum religiosorum votorum simplicium claritas splendet, ita ut in C.I.C. anno 1917 recepta sint.

Instituta mulierum, centralizatione sicut in illis virorum assequuta, unam superiorissam habentia, in plures provincias religiosas divisa, clariorem configurationem in C.I.C. obtinebant: aut tamquam congregationes religiosae, aut vitae communis societates sine votis²⁵. Ex Sanctae Sedis parte, cautiones adhibitae sunt, ne horum institutorum nimia multiplicatio haberetur²⁶.

tuis alias sorores, quae propriis domibus vivunt, quin signum aliquod prae se ferant externum, per quod innotescat eas membra esse alicuius regularis Instituti? II. Utrum expediat, ut eadem S. Congregatio concedat decretum laudis aut approbationis Instituti illis, quorum membra, etiamsi in communitate vivant, nullum tamen eiusdem Instituti signum prae se ferunt, quinimo student occultare tam Institutum quam eius naturam? (...) Sacra Congregatio, quando laudat vel approbat huiusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare non quidem uti Religiones formales votorum solemnium, neque etiam ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum uti pias sodalitates, in quibus, praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo superiore accepta (...). De habitu religioso et conditione Institutorum eundem non prescribentium: ASS, 23 (1890-1891) 634-636.

²⁵ «(...) Congregationis religiosae vel Congregationis simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur». C.I.C. (1917), c. 488, n. 2.

²⁶ «Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius Generalis, condere possunt Congregationes religiosas; sed eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea ut

Uno verbo: Sancta Sedes novam vitae religiosae apostolicae imaginem confirmavit, iusta quam consecratio atque apostolica activitas coniungebatur. «Apostolus» et «missionarius» qualificationes etiam ad mulieres destinatae erant. Novae congregationes liturgiam reformaverunt, quaestionem de relatione inter fidem et rationem ad solutionem conducere adlaboraverunt; gentibus Evangelium nuntiaverunt; plures ephemerides fundaverunt²⁷. Ad opera assistentialia quod attinet, IOHANNIS BAPTISTAE SCALABRINI activitatem cum emigratis atque IOHANNIS BOSCO cum iuvenibus derelictis conversationem commemoramus.

Quaestio anticlericalis Galliae fine saeculi XIX in augmentum progressa est: anno 1880 gubernium gallicum «laicisationem» scholasticam decrevit; personas «laicas» in privatas scholas misit. Dixeris «laicismum» inter hospitalium parietes introducere voluisse. PIUS X timuit ne Galliae religiosi aspectum «saecularem» assumerent.

Quoad missionarium motum, Status ex religiosorum in illis terris activitate benefica accipiebat, quia missionarii, volentes aut nolentes, coloniam politicam sustinebant²⁸.

a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni aggregentur». C.I.C. (1917) c. 492, § 1.

²⁷ Memoramus in Societate Iesu *Monumenta Historica* eiusdem instituti incipere, tempore P. ALOYSII MARTÍN, praepositi generalis (+1906). Etiam *Studien und Mitteilungen aus dem Benedictiner und Cistercienserorden* (1880); *Miscellanea Franciscana* (1886), etc.

²⁸ G. ROCCA, *La vita religiosa dal 1878 al 1922*, 155. Etiam H. BERGER, *Mission und kolonialpolitik. Die Katholische Mission in Kamerun während der deutschen kolonialzeit*, Immensee, 1978.

Salesiani, quia defensores Italiae, in iure civili inscripti sunt,

Vitae religiosae ad novas formas transitio. 1922 - 1945

Durante periodo inter duo bella mundialia comprehensa (1918-1945), numeri novitiorum incrementum habitum est, usque ad circiter annum 1960 protractum²⁹.

Causa diversorum pacis tractatorum, Statuum fines modificati fuerunt; nationes novae surrexerunt. Religiosorum conditio saepe difficilis erat, quia auctoritati extraneae oboediebant. Opificum miserrima conditio tanquam ad certamen provocationem religionis significabat.

Insuper Codex Iuris Canonici 1917 ius proprium variarum congregationum — quoad diversitatem attinet — non valde considerabat. Quamobrem aliqua coaequatio inter congregationes religiosas producta est³⁰.

S. Congregatio Religiosorum normas emanavit (1921), quae in institutorum structuram influxum magnum exercuerunt³¹. Vita vero religiosa in rigidam conceptionem magis magisque progrediebatur: con-

priusquam Tractatus Lateranensis atque Concordatus (1929) subscripti fuerant.

P.A. DAGO, *L'enseignement catholique de Côte d'Ivoire de 1895 à 1922*. Dissertatio ad Lauream in Historia Ecclesiastica consequendam, Roma, Fac. Hist. Eccl. P.U.G., 1990.

²⁹ V. DAMMERTZ, O.S.B., *Ordensgemeinschaften und Säkularinstitute: Handbuch der Kirchengeschichte*, curat H. JEDIN atque K. REGEN, VII (*Die Weltkirche im 20. Jahrhundert*), Freiburg-Bassel-Wien, 1979, 355-379.

³⁰ Sicut affirmat R. HOSTIE (o.c., cf. nt. 10, 249-251. 264-273), congregationes novae in hoc tempore creatae non inter se charismatis causa distinguebantur, sed potius in externis.

³¹ *Normae* (6.III.1921): AAS 13 (1921) 312-319. Consequenter, congregationes religiosae ius proprium secundum novum ius ecclesiale accomodare debuerunt.

stitutiones institutorum in ictum formalitatum frequenter ceciderunt, quia normarum iuridicarum sensus tanquam spiritus evangelici expressio non saepe considerabatur.

Motus foundationis congregationum religiosarum usque ad 1933 prosequutus est, tamen de parvulis congregationibus agebatur tantum in dioecesibus approbatis. Ad reperiendam novam congregationem pervenire usque ad augustum et septembrem 1933, quando religiosi et religiosas a Caroli de Foucauld spiritualitate ispirati nati sunt, debemus³².

Quaedam conclusiones

1. Vita religiosa, praesertim apostolica, connexionem inter quotidianam activitatem atque praescripta canonicarum legum nobis ostendit. Insuper et illa saepe legibus canonicis praecedat.

2. Congregationes novae durante saec. XIX exortae ad socialem quaestionem persolvendam impetum fecerunt. Quamobrem, Statum inter et Ecclesiam relationem clarificaverunt.

3. Valde mirandum est quomodo novae congregationes saeculo XIX exortae, obstantibus difficultatibus a saecularizationis consilio guberniorum atque a iuris canonicis praescripti provenientibus, vitalitatem apostolicam magnam ostenderunt.

4. Quoad praecipue evolutionis institutorum religiosorum causas: a) vocatio evangelica ad activitatem beneficam exercendam imprimis existimanda est; b) fundatoris personales virtutes eiusque temporum

³² LOPEZ AMAT, *o.c.* (cf. nt. 20) 523.

signa percipiendi capacitatem etiam affirmare debemus.

5. Ius Canonicum ut perutilem fontem Ecclesiae Historiae consideramus, quia vitae cristianorum essentialem aspectum nobis offert.

FERNANDO DE LASALA, S.I.